



70

1.
2.
3.
4.
5.
6
7.
8.
9.
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

argyl. 27

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De
LEGIBUS

IN COMMUNI,

QUAM

DEO gratiosè Juvante

Ex

DECRETO ET AUTHORITYTE
AMPLISSIMÆ atq; EXCELLENTISSIMÆ
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

IN ALMA ACADEMIA MARBURGENSI,

Sub MODERAMINE

VIRI *Plurimum Reverendi, Excellentissimi,*

atq; Clarissimi

JOH. GEORGII BRAND,

PHIL. ET THEOL. DOCTORIS, ET MATHE-
MATUM ACADEMIÆ PRÆLAUDATÆ

PROF. ORDIN.

Pro Honoribus **MAGISTERII**

legitimè capessendis

IN COLLEGIO PHILOSOPHORUM

Ad d. Martii Anno M. DC. LXXXIV.

Publicè ventilandam conscripsit

JOH. PETRUS CRUGIUS,

WEIMARIENSIS HASSUS.


Marburgi, Typis JOH. JODOC. KÜRSNER. Acad. Typ.

V I R O
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
CONSULTISSIMO

DOMINO
JOHANNI
RUDOLPHI,

SERENISSIMÆ DOMUS
HASSO-CASSELLANÆ IN SUPREMA
RATIONUM CAMERA CONSILIARIO
PRIMARIO,

DN. Cognato ac Mecænati suo
summo animi cultu nunquam non
prosequendo,

*Hanc Disputationem pro Gradu in Philosophiâ
obtinendo conscriptam*

Devoti animi characterem

D. D. D.

JOH. PETRUS CRUGIUS.



PRÆLOQUIUM.



*N*ecessaria ignoramus, quia necessaria non discimus, inquit Seneca. Quibus verbis Romanus Sapiens taxare mihi videtur vanitatem eorum, qui, spretis necessariis ac utilibus, passim futilia ac curiosa saltem subtilia magis, quam utilia aut necessaria consecrantur: è diverso autem monere nos contendit, ut postpositis nugis ac quisquiliis, ea discamus, diètis scripserisq; exprimamus, quorum cognitio in vita sit profutura ac necessaria. Si qua igitur ex ulla parte Sapientie dignitate ac necessitate se nobis commendat tractatio, certè presens est Legum materies: Quarum tanta est necessitas ac præstantia, ut ignorantia earum omnibus obsit, nulli ferè proffit. Lex est anima civitatis, qua Respubl. animantur ac vivunt, & sublato hoc spiritu, tanquam corpora vitâ ac sanguine destituta concidunt. Quare Prudentissimus Consul Romanus scribere non dubitavit. Nihil, inquitens 3. de LL. tam aptum ad jus conditionemque naturæ, quam Lex: sinè qua nec domus ulla, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Tantâ igitur necessitate ac dignitate Legum existente, nequaquam me in reprehensionem incurrere posse puto, si ex Legibus Almae nostræ, & imperio Superiorum, pro lauru in Philosophia obtinendâ, Disputationem conscripseris, in hancce perutilem ac necessariam Legum materiem stylum strinxero, & sequentibus aphorismis de Lege in genere aliquid chartis præsentibus mandavero. Quod ut feliciter succedat, divina gratiæ auxilium demissè oro atq; exopto.



APHORISMUS I.



EX (quam Hebraei חורה à
 ירה in Hiph. הורה docuit, quòd
 per illam de suo officio omnes
 edoceantur, appellant: Græci
 νόμον ἀπὸ τοῦ νέμειν à distribuendo,
 quòd unicuique suum tribuat,
 nuncupant) dicta aliis à
 legendo, quòd legenda &
 promulganda sit; aliis à deligendo,
 quòd delectus vis in Lege ponatur;
 aliis ab eligendo, quòd Lex, quid
 eligendum sit, ostendat; aliis à ligando,
 quòd obliget ad sui observantiam
 (quæ tamen potiùs allusiones, quàm
 genuinæ notationes censerì possunt)
 in diverso foro diversimodè accipitur
 (nos hîc loci pro *jure* accipimus)
 atque in genere sic definitur: quòd sit
*sententia à recta Imperantis ratione
 profecta & lata subditis, obligans ad
 obsequium cum promissione præmii
 obedientibus, & comminatione
 pœna inobedientia debita.*

APHOR. II.

UT autem Lex à divina prodiens
 Mente per humanam mentem in
 urbes emanare dicatur, in varias
 tamen species deduci solet, quas
 omnes heic perconsere aut
 examinare neque institutum
 nostrum, neq; tempus permittit.

mittit. Illa, quâ dispescitur Lex in *Naturalem* ac *Positivã*, uti foro Philosophico vicinior divisio, ita instituto nostro videretur accommodatior. *Naturalem* vocamus, quam Deus, ut naturæ Author in primæva creatione mentibus hominum in sevit, ad discernendum honestum à turpi, illud jubens, hoc vetans. Hæc Lex apud omnes & ubiq; eandem vim habet, & non, quia ita videtur vel non videtur. Et ratione sui semper est immutabilis & justa, omnesque obligat homines ab eo statim tempore, quo usus rationis in iis se exserere cœpit. *Positivam* Legem, quam alii *Voluntariam* dicunt, describere licet, quæ ex Voluntate originem ducit, & ex Dei vel hominum authoritate posita est in societate communi ad salutem Civium. Et hæc lex ab initio, antequam posita fuit, adiphora seu indifferens erat, quia nihil referebat, hoc an illo modo fieret. Postquam autem sancita fuit, adiphora esse desiit. Hinc illud fuit: quòd quædam mala sunt, quia prohibita; quædam prohibita, quia mala.

APHOR. III.

A DEO omnis pendet Legislatio, & in eum respicere debet. Nihilominus hisce in terris constituti sunt homines, qui divino quodam munere funguntur, & quibuscum Divina Majestas communicavit quædam jura, imprimisque legislatoriam istam potestatem, ut populis ac gentibus jura præscriberent, atque nativæ isti libertati, cui homines plus æquo indulgent, ad ordinem & decorem in genere humano fundandum obices ponerent. Hique novo nomine *Imperantes* vocantur, quibus ante omnia Majestatem & Superioritatem inesse oportet: nam frustra est aliquid præcipere, quod impunè potest negligi. Et Legem ferendi potestatem in Monarchia habet

A 3

ipse

ipse Princeps, in Aristocratia Optimates, in Democratia
universus Populus.

APHOR. IV.

EX quo colligere licet, ea, quæ Collegia licita & appro-
bata pro sui statûs conservatione ordinant ac præscri-
bunt, Augusto legum nomine propriè non venire, sed *sta-
tuta* potiùs appellanda. Ecclesiasticæ constitutiones ad
Ecclesiarum *iurisdictionem* directæ, *Canones* rectiùs, quàm leges
audiunt, quia Ecclesiæ Pastoribus seu Doctoribus non
competit illa legum ferendarum potestas. Minùs multò
populi consensus, ut leges obligandi vim obtineant, ne-
cessariò requiritur; cùm promulgatione à supremo &
legitimo Magistratu facta, lex vim ac efficaciam suam
consequatur. Observandum autem est hoc, nihil inter-
esse, quisnam in legibus ferendis formulas earundem
concipiat, modò is, cui facultas legislatoria competit, eas
pro suis agnoscat & promulget.

APHOR. V.

CÆterùm ut Lex vim suam in animis eorum, quibus
fertur, exserere possit, opus est publicatione & *pro-
mulgatione*, ut nimirum cognoscatur tum Legislator, tum
Lex ipsa. Nemo enim obedientiam præstare valebit, si
neque cui parere debeat, neque ad quod teneatur, intel-
lexerit. Lex siquidem imponitur per modum regulæ &
mensuræ. Regula autem & mensura, ut inquit Thomas
1.2. quæst. 90. art. 4. actu non est, nisi quod applicatur his,
quæ regulantur & mensurantur: Ut igitur obligandi vim
obtineat lex, oportet eam applicari hominibus, qui se-
cundùm eam regulari debent, applicatio autem hæc tum
fit, cùm ex promulgatione eorum in notitiam deducitur.
Ut ergò sinè obligatione Lex est nulla, ità sinè promul-
gatione

gatione quoque obligatio est nulla. Quæ obligatio tamen ex indultu Legum civilium non statim, sed demum post duorum mensium spatium à facta promulgatione, ut Leges eò melius in notitiam veniant, se exserere incipit.

APHOR. VI.

Quemadmodum facultas injungendi quid per modum Legis aut præcepti infert superioritatem: ita obligatio parendi arguit inferiores nos esse eo, qui præcipere nobis potest, saltem quàm imperium ejus se extendit. Nequicquam tamen brutis feruntur Leges, sed *creatura rationali*, juris & injuriæ capaci, utpote quæ apta est ad recipiendam obligationem, quia habet voluntatem, quæ se in diversas partes flectere, adeoque ad normam componere potest. Legislatorem tamen subditis latæ Leges obligare non possunt, quoniam nemo duplici persona & imperantis & parentis eodem respectu censerit potest.

APHOR. VII.

Actus, de quibus leges in genere ferendæ, oportet esse possibiles, saltem eo tempore, quo feruntur leges, nam ad impossibilia aliquem obligare velle, non modò frustraneum, sed & iniquum est. Is tamen qui culpâ suâ facultate istâ parendi postmodum excidit, à pœnæ nexu non liberatur, sed relinquitur Legislatori potestas exigendi pœnam ob id, quod legibus satisfieri nequit. Deinde actus debent esse futuri, non præteriti: Siquidem præteriti amplius in potestate non sunt. In specie autem Lex naturalis versatur circa actus intrinsecè morales, h. e. in se ac suâ naturâ honestos ac turpes.

APHOR. VIII.

AD Legis essentiam pertinere videtur expressa voluntas, seu sanctio ipsius Nomothetæ: Imò subjectis constare

stare

stare debet, quis tulerit legem, & quid Lex dicat. Quo- modo enim is, qui nunquam cognovit, aut cui, aut ad quid teneatur, obedientiam præstabit? Lex quippe est regula intellectûs practici, quæ non nisi cognita hominem diri- gere potest. Sufficit autem heic, quòd civis aliquando cognoverit, & si postea obliviscatur tam ipsius Legis latæ, quàm illius, qui legem tulit, sibi imputet. Si quis verò prætendat hujusce recognitionem, maximè quoad leges antiquas & divinas, difficilem admodum esse, is sciat, hic non certitudinem Mathematicam, sed tantùm mo- ralem, ut in ejusmodi rebus, quæ in societate humanâ occurrunt, fieri solet, requiri.

APHOR. IX.

NEquaquã tamen de forma Legis essentiali *scripturam* esse credendum est, quoniam Lacedæmoniorû Leges nunquã in scripturam redactas fuisse constat: Imò ne Ro- manæ quidem leges, quas Romani primis trecentis ha- buere annis, ceu est constans Historicorum sententia, scriptis consignatæ fuere. Adde, quòd Legi in esse suo constitutæ scriptura demum superveniat. Ad formam tamen accidentalem pertinet Scriptura, & valdè utilis est, ut Lex tantò meliùs ad notitiam perveniat.

APHOR. X.

Sicuti unius rei multi fines esse possunt: ita *legum finis & scopus* non unus, sed multiplex est. Generalis finis est Salus Reipubl. Specialis, ut per Leges homines retine- antur in officio: Nam improbitas hominum causam le- gislationum dedit. Sicut enim antè morbos necesse est cognitos esse, quàm remedia eorum: Sic cupiditates priùs natæ sunt, quàm Leges, quæ iis modum fa- cerent.

APHOR.

APHOR. XI.

Cùm verò frustra essent Leges, nisi operarentur aliquid, ideo virtus earum potissima in *obligatione* ponitur, quæ necessitatem imponit omnibus subjectis juxta normam Legum vitam & actiones instituendi. Et hoc adeò verum est, ut vel Leges positivæ seu civiles non tantùm in foro exteriori, sed & in conscientia obligent, ità ut harum etiam violatores peccent, & in ipsa conscientia seu Dei foro reatum committant.

APHOR. XII.

Legum prætereà ea vis est, ut quicquid contra Leges fit, pro infecto &, ipso jure, nullo habeatur. Quod quidem in foro civili extra dubitationis aleam positum exemplorum multitudo confirmat: veluti si filius familiars sine consensu patris uxorem duxerit, nec vir, nec uxor, nec matrimonium, nec dos, ceu leges civiles loqui amant, intelligitur. Item, si in testamento ea quæ ad juris solennitatem pertinent, omissa fuerint, deficit jure testamentum. De jure naturali tamen recipit limitationem, atque in duobus duntaxat casibus locum habet. *Primò*, cùm actus aliquis prohibetur ob defectum potestatis, veluti in contractu dolo malo inito, qui etiam de jure naturali irritus est. *Secundò*, cùm ob materiæ incapacitatem actus prohibetur: Exemplum est in eo, qui actum gerit prohibitum propter turpitudinem in materia existentem, quando ea turpitude durat in ipso effectu.

APHOR. XIII.

Lex prout clarè concepta, & in vernaculâ aut tali linguâ, quæ ab universis subjectis intelligatur, ut de sensu ejus constare possit, proposita sit oportet: ità ratione niti atq; injustitiâ vacare debet. Nam recta ratio est anima legis,
 B quam

quam ex divina mente etiam derivant gentilium Philosophi. Lex igitur cum ex bono prodeat & in bonum dirigat, non videtur posse esse vel irrationabilis vel injusta. Neque tamen desunt heic quidam, qui adversantur, variarumque ac dissimilium populorum ac gentium diversas dissimilesque leges producunt, evicturi exinde non omnes leges certam niti ratione, adeoque nec semper in justis regulam fundari. Verum sciendum est duplicem in legibus dari rationem; alteram esse a natura, quae ubique locorum est eadem, modo non omnino sit corrupta: alteram esse iudicio Politico informatam, & haec varia dicitur, non ex se & sua natura, sed ex alio externo, ex circumstantiis scilicet; nec enim omnibus Rebus publ. eadem conveniunt. Admirabilis namque & penè incredibilis hominum dissimilitudo, variaque pro diversitate locorum natura est. Uti verò diversa sunt corporum temperamenta à diversa materia, ita & leges diversae à gentium moribus & conditionibus diversis. Imitatur igitur Legislatores prudentes Medicos, qui non eadem omnibus aegrotis, sed aliis alia, adeoque saepe contraria pharmaca applicant. Diversitatis itaque & varietatis Legum causa est temporum, locorum, personarum & aliarum circumstantiarum diversitas, & varia mediorum in Legislatore consideratio, qui quandoque errare potest, non quidem in fine, quem omnes dicunt esse populi salutem, sed in mediis ad illum finem obtinendum ordinatis.

APHOR. XIV.

Numquid verò, si Lex injusta de facto lata esset (quales quidem per abusionem sic dictas dari rerum Magistra, Experientia, plus satis docet) obligaret? quaestionis est, & recipit distinctionem. Si injustitia legis evidens esset, oppu-

oppugnarétque jus divinum aut naturale, non magis obligaret ac non Lex, quoniam híc deest Legis materia seu factum possibile, quod enim contra jus divinum ac naturale fit, hoc neque Legislatoꝝ imperare, neque subditus facere potest. Sin autem iniustitia Legis in ambiguo nec evidens esset, ab obligationis nexu se subducere non poterit subditus, quia pro Legis iustitia & bonitate præsumitur, & cùm in civilibus res indifferens versetur, non potest iniustum civile committi, nisi à subdito: Adde, quòd nec subtiliter in Legis rationem à subdito inquirendum sit.

APHOR. XV.

Magnam cum Lege cognationem habere videtur *Consilium* ex eo, quòd regula seu præceptum sit agendorum vel omittendorum, quo nomine vel à quibusdam cum Lege confunditur. Verùm à Consilio Lex certis modis distinguitur. *Primo* enim Consilium est præceptum, in quo ratio, quare pareamus, sumitur ab ipsa re, quæ præcipitur: Lex autem est præceptum, in quo parendi ratio sumitur ab ipsa voluntate præcipientis, juxta vulgatum: *Sic volo, sic jubeo, fiat mea sola voluntas.* Unde apparet Legem non esse consilium, sed propriè mandatum. *Deinde* Lex fertur ab eo, qui habet potestatem in alios: Consilium verò datur ab illo, qui non habet potestatem in alios. Hinc parere Legi est officii, parere consilio humano est arbitrii.

APHOR. XVI.

In censu cognatorum etiam ponuntur *pacta*, quæ tamen à natura Legum longè absunt. Pacta namque cum superioritate minimè consistunt. Neque divinæ positivæ, neque naturales Leges à conventionem aut consensu

sensu hominum originem trahere dici possunt. Quid? quòd ne civiles quidem Leges propriè pacta sint, etiamsi ex pacto originem habeant.

APHOR. XVII.

Accidit Legi quandoque *Dispensatio*, quæ dicitur remotio obligationis à certo subjecto Legis, manentibus omnibus iisdemque circumstantiis, sub quibus Lex viget, aliosque obligat. v. gr. Lex est: Ne quis ultra triennium Provinciæ præsideat, illud tempus prolongatur in aliquo, manentibus omnibus & iisdem Legis circumstantiis, sub quibus Lex obligat. Prolongatio hæc dici poterit *Dispensatio*; quando autem Lex in aliam convertitur, dicitur commutatio Legis. Potest autem Princeps sive Ecclesiasticus, sive Secularis non modò in suis, sed & prædecessorum Legibus dispensare. Inferior quoque Magistratus à Legibus Superiorum dispensare potest, idque vel tacito, vel expresso consensu. In rebus autem minoris momenti consensus iste Superiorum non adeò exigitur. Licet Leges positivæ & civiles nunquam dispensationem admittant, leges naturales tamen eam omninò respuunt; ità ut nullus hominum circa eas dispensandi licentiam habeat. Imò ne ipse quidem DEUS circa Legem naturæ propriè dispensat, hoc est approbat aut præcipit actum, qui adæquatè & secundùm omnes suas circumstantias est contra Legem; quia sic DEUS præciperet & approbaret peccata. Ex. gr. Lex naturæ vult, *Deum esse colendum*, circa hanc legem si Deus dispensaret, posset omissionem cultus sui, actumque contrarium, putà odium sui, præcipere atque approbare, quod à DEO alienissimum est. *Verbe 2 folia invenies sep.*

APHOR.

M.

2 Bl. falsch
geb. gezogen

zur vordrucken
hinein

Theologico-Politico Hist. c. 14. p. m. 471. Reinhold. Condit. de Fid. Polit. l. 1. p. m. 42. Haenon. disp. Polit. 1. pag. m. 93. seq. Cominaus l. 8. Comment. pag. m. 625. aliique.

* Qui liquorita vocatur ab Autore, Zythopœi s. cerevisiarii Hamburgensis ser-vo, cui nomen *Briehahn* erat: hic ad Hanoveranos veniens, cerevisiamque Hamburgensem coquere tentans, spe sua excidebat; pro Hamburgensi enim hanc, quæ nomine ejus est nobilitata, accipiebat, ut ex Henr. Butting. Chron Bruonov, testatur *Gothofred. Mæbius Inst. Med. Epitom. p. m. 250.*

A P H O R. XIX.

ET aliæ equidem, fateor, dictis hæctenus non in congrue forte adjun-
gendæ, conquiri quæstiones quirent. Enimvero Doctorum non
uni hoc me fasce cum, tametsi sparsim, levaverint, operam ludere, ole-
umque ne dicar, acta agere, congerendisque talismodi erotematibus in-
fundare nolo; & adlata hucusque scopo nostro sufficere, & curiosum
omissorum L. ad alios, queis non impertinentia huc terere problemata
adlibuit, remitti posse Autores, existumans. Obiter tamen, & quasi per
indicem, circa quæstion: de peregrini militis lectione, exterarumque gen-
tium belli in auxilium adsumptione, *κολοφῶνα* scribitis additurus, quin mo-
neam, nequeo; esse nimirum caute hac in re, gradibusque minumè gran-
dibus Grandium cuique gradiendum. Etenim, perquam pluria, sine
largo dacrymarum imbre vix adspienda, prisca non minus ac recen-
tia, ad historias oculorum radios quadantenus flectentibus, se il-
lorum sistunt exempla, qui victu, æreque suo sustentata diu advenarum
militum cornua, vel arma abjiciendo, se proripuisse, vel, majori perfidiâ
allecta, ad hostium transisse castra, cum maximo sunt suo detrimento
experti; quin & qui, amicas peregrinorum manus, ad tutandos Imperii
sui fines, invitatas, in certam sui, tuorumque subditorum comparuisse rui-
nam, sensere. Quæ æquâ animi pensitasse lance videtur Philipp. 2. Hi-
spanorum Rex, vel in agone constitutus, filio suo, ne peregrinum Gal-
lorum militem, suo posthac sumtu aleret, in mandatis reliquens; quo de
Anonymi. in libr. cui tit. *La France demasquée*, p. m. 22. *Philippe*, inquit,
*dans une de ses instructions, qu'il laissa à son fils, luy commanda serieuse-
ment, d'ôter les pensions, qu'on donnoit aux Francois &c.* Mihi temporis
chartæque, nisi angustia aurem vellicent, insuperque, ne scribenti digiti
contunderentur, verendum esset, uno, alterove, rei huic litanti, è Ger-

hæc cæcæ folia ad seip. & disp. c. peregrini, mania spectant

mania nostra producendo exemplo, crenæ paululum dicarem. Verum,
 hæc, -- -- *spatiis exclusus iniquis,*
Prætereo, atque aliis post me memoranda relinquo.

APHOR. XX.

ID interim silentii heic peripetasmate neutiquam esse obvolvendum, re-
 tor, quod & ipsi quandoque peregrini, alienæ, seque non adurenti, fri-
 gidam adfundere flammæ præsumentes, exitialem, quin & quod ipsimet
 per læpe comburuntur, suo in regno seditionis ignem non excitent so-
 lum, sed oleum ei infundant; hacque ratione, alienis pauloante se bellis te-
 merè inmiscens, arcendo propriis finibus hosti, vix sufficiant. Quæ res
 ne exemplo, ego fide, careamus; ecce Tibi, L! Georgium Racoziùm
 Transylvaniæ Principem. Hunc, Suecicæ, erga Moscos susceptæ,
 expeditioni nomen dantem, inchoatam uti rem abrumperet, Tur-
 carum Sultan, utpote feudi dominus, adhortatur: sed incassum; nihilo
 namque minus, Polonicorum fascium spe, strenuam Princeps Suecis
 opem ferebat. At qua fini? quo exitu? Regnum nempe tergo adspicere,
 aliique, cui Abaffi vocabulum, administrandum dare, coactus ubi fuit,
 suam illud Dion. Halicarnass. adinvenire veritatem fecit; *Turpe esse alie-
 narum possessionum cupidine, bellum sustinere non necessarium, atque
 adeo cum propriarum opum periculo conjunctum.* Sed vero quicquid
 fiet; est tamen locus, ubi & indigenas in bellici laboris levamen peregrinos
 adsciscere & externos indigenis auxilio esse posse, si dixerimus, è veritatis
 cancellis saltum forsan non adeo magnum faciemus. *Nulla quidpe, dic.
 * H. Grotio de J. B. & P. in Proleg. tam valida est civitas, que non ali-
 quando aliorum extra se ope indigere possit, vel ad commercia, vel ad
 arcendas multarum externarum gentium junctas in se vires &c. Add.
 C. Lentul. Quid Consilii, Dub. 158. p. m. 375. Bernegger. quest. in Tacit.
 73. 7. Lips. Polit. l. 5. c. 9. p. m. 269. seq.*

* De quo, ejusque scribitis, Comte de Windisgratz. in libr. quem inscribit: Con-
 ference Instructue &c. p. m. 48. Grotius, inquit, *a laissé en neuf gros Tomes une
 image de ce qu' il estoit en effet; & entre ces pieces, celles du droit de la Guerre
 & de la Paix, & l' Histoire du Pays bas avec un jugement, une éloquence, & la
 pureté latine toute entiere, tenant beaucoup de l' air & d' écrire de Tacite. Je
 rends cét encens a son mérite,*

Crenæ nigredinem fusius disseminare, prolixioremque heic se gerere,
 non esset equidem per funem extentum currere. Atv. terram ex summo
 mali

mali carthesio quum videam ; complicanda erunt carbasa. Σφάλματα, praesenti quæ γυμνάσμαι fortè irrepsère, ætati, teneræ adhuc, benedice uti condones, L! corrogarem, nisi, dicente Barel. Satur. P. 1. p. m. 4. haberet triste mortalitas privilegium, ut liceat aliquando peccare; insuperque Græcæ illius παροιμίας: Τὸ μὲν συνόλωσ ἀμαρτάνειν ἴδιον θεῶ; non utique nescius, cum Lipsio Monit. ad Polit. p. m. 20. me labi & errare non posse solum faterer, sed debere. Cæterà, pro datis cœlitus, ad balbutienda hæc, viribus, grates, summa animi submissione, παντοκράτορι dico grandes, grandiores debeo. St! Actum est, ilicet.



COROLLARIORUM

Διόθεκας.

I.

Æ Que parum scit qui nunquam, ac qui semper dubitat.

II.

Per innatam nobis ideam, Deum cognosci, ejusq; probari existentiam posse, recte Neoterici adserunt.

III.

Quod quiescit, semper quiescit; quod movetur, semper movetur.

IV.

Idem eodem tempore & quiescit & movetur.

V.

Calor aut quicumq; motus in corpore humano, non est ab anima.

VI.

Nihil esse in intellectu, quod non fuerit prius in sensu, vulgus Philosophorum absurdè fabulatur.

B 3

VII.

VII.

Certius amoris signum oculi sunt, quàm lingua.

VIII.

Meum & Tuum sunt fons & origo omnis mali.

IX.

Graduum Academicorum etiam fœmina sunt capaces. Neque desunt exempla earum, quæ tam in Theologia, quàm in Jure, Doctoralem sunt dignitatem indeptæ. In Theologia Isabella Lofs de Cordova in Hispania: in Jure v. Beltizia Gozziana, Bononiensis, anno 1235. ætatis 26. summos apta honores, 1229. ad publicam Professionem vocata est; cui cum summa quoque laude præfuit.

X.

Jura naturalia civili dirimi Jure nequeunt.

XI.

Ex bove boum, ex ove ovium fieri Magister potest.

XII.

Amor quàm furoris sit species, Plat. in Phæd. furiosus verò non delinquat, l. 12. ff. ad l. Corn. de Sic. quæ, amore coacta, virgineos amasio decerpẽdas flores permittit, delinquere virgo quibusdam non videtur; nostrum calculum, conflictus adaperiet: meretrix interim talis modipuellæ quòd falsò dicatur, hoc certum est.

Nobilissime Domine Respondens.

A Ut querulas voces, aut saltem suspiria bonis omnibus pridem evocavit, quòd sacrum illud & divino oraculo olim inviolabile peregrini nomen in convitium hodie abierit: ut si non ob alia scelera, ob iniquissimum certè in peregrinos animum seculum nostrum crudele, sævum ac ferreum non injuriã dici possit. Scilicet dura fata semper & fors aspera manet non eos tantùm, quos alienum solum genuit; hi enim haud dubie mortalium sunt infelicissimi, in quos crudelitas, veluti metam,
tela

Circa rectam Applicationem sententiæ Legis ad casus particulares, in qua iudicis officium potissimum vertitur, diligenter observanda, quæ communiter dicitur *inmixta*, *Æquitas*, ne summum jus abeat in summam injuriam. *Æquitas* communiter describitur correctio Legis, eâ parte, quâ deficit ob generalitatem: ex. gr. Sit Lex: *Portæ urbis non aperiantur in obsidione*: Contingit autem cives quosdam Reipubl. utiles elapsos è manibus hostium, apud quos captivi fuerant, ad urbem se recipere, absque quibus urbs defendi feliciter non posset, æquitas requirit, ut portæ aperiantur, nam Lex hoc in casu deficit propter nimiam universalitatem verborum: ita ut Legislator ipse de hoc casu consultus, contrarium ejus, quod Lex definire videtur, velle diceret. Naturæ autem Lex non capax ejus interpretationis, quæ in jure *nat' inmixta* vocatur: cum enim Lex naturæ sit ipsa æquitas, ejusque nomine veniat, non dari potest alia æquitas, quæ eam interpretetur. Num verò in Lege divina positiva æquitas locum habeat, controvertitur, & sunt qui negent, heic audiri æquitatem. Verùm hoc non omnino admittendum esse videtur, exemplis contrarium suadentibus: Sabbatho vel minimum opus peragere, summum apud Judæos nefas erat, imò morte piandum; Sed Salvator ipse mitius interpretatur hanc legem. Matth. 12. vers. 1. & seqq. Panibus proposititiis nemini vesci licebat præter Sacerdotes, qui tamen comesti sunt à Davide 1. Sam. 21. vers. 6. Ergò in lege divina positiva dari videtur æquitas.

UT colophon tandem imponatur Dissertationi nostræ paucula quædam de abrogatione Legum adjiciemus. *Abrogari* Lex dicitur, quando planè definit obligatio Legis, ità ut in posterum omninò cesset; imò etiam abrogari dicitur respectu ejus, quem obligabat. Nam quemcunque Lex non obligavit, ejus respectu lex non fuit. Hinc colligitur legem ceremonialem Judaicã respectu nostri non posse dici abrogatam, quia nos nunquam obligavit. Hæc abrogatio multifariam differt à Dispensatione & Æquitate Legis, quarum neutra efficit, ut id, quod Lex erat, simpliciter Lex esse desinat. Conditor Legis, Successor & Superior sui inferioris legem potest abrogare, non tamen inferior Legem sui Superioris. Nunquam tamen abrogatur Lex jam lata, nisi gravis subsit causa. Tantùm.

**Soli Deo, Supremo Nomothetæ,
Laus, Honor & Gloria!**

COROL.

APHOR.



COROLLARIA.

I.

Propria à Subjecto suo nullo modo, neque naturaliter neque supernaturaliter, possunt separari.

II.

Omne spatium est reale, nullum verò imaginarium.

III.

Omnis effectus tamdiu pro naturali est habendus, donec certis constet argumentis, illum à natura produci non posse.

IV.

Hinc actio illa Virgula Mercurialis pro naturali, non verò diabolicà ac superstitiosa est habenda.

V.

Prostibula & lupanaria salvâ castitatis lege non possunt tolerari.


VI.

Conjugium Clericorum non est contra castitatem.

VII.

*Non licet Principi Christiano inire fœ-
dus cum Infidelibus contra alium Principem
Christianum.*

*Quòd cum articulo solum summum
Deum notet, sinè articulo minimè, est falsū.*



*JAM Cognate pater tritum, labor omnia vincit:
Sedulitate Tuâ.*

*Dum rectū Legis monstras moderamen, ut hæcce
Docta tabella refert.*

*Hinc quoque non deerit, sudoribus hisce peractis,
Laurea digna Tibi,*

*Immò virtutes, Cathedram quum scandere tendis,
Hinc dabit Alma Themis,*

*En! precor expuro, quò coeptis adsit Jova
Pectore, Chare, Tibi.*

*Hisce appositis lineolis Cognato suo Charissimo
gratulabundus applaudit*

C. KÜMMEL.

F I N I S.

